FACULTAD DE DERECHO U. A. N. L.

311

D. ANTONII
FERNANDEZ
DE OTERO

TRACTATUS DE
PASCUIS ET
JURE PASCENDI

Reſpondeo, eſſe mortale peccatum ex ſuo genere : ſicut enim contumelia eſt mortale peccatum ex ſuo genere, ita etiam deriſio, niſi ratione paruitatis materiæ excuſetur.

13 In quibus caſibus deriſio ſit peccatum mortale.

13 Hinc ſequitur, deriſionem eſſe mortale peccatum in his tribus caſibus.

Primò, quando adeſt intentio grauiter confundendi proximum.

Secundò, quando manifeſtatur graue vitium : vt quando quis obiicit Titio vxoris adulterium.

Tertiò, quando deriſus grauiter triſtatur. In aliis verò caſibus fieri poteſt, vt deriſio non ſit mortale peccatum, ſed tantummodò veniale : vt quando quis leuem defectum obiicit, vel quando grauem obiicit ex imperfecta deliberatione ; paruitas enim materiæ, & indeliberatio excuſant à mortali.

14 An deriſio aliquando excuſetur ab omni peccato.

14 Addo deriſionem aliquando excuſari ab omni peccato : vt quando ſit cauſa corrigendi proximum, vel etiam cauſa recreationis honeſtæ, modò non intendatur confuſio & erubeſcentia proximi. Propterea opus eſt magna prudentia in deriſione, quæ ſit cauſa recreationis, cùm facile committi poſſit mortale peccatum ratione grauis triſtitiæ, & erubeſcentiæ, quam deriſus patitur. Ita S.Th. 2. 2. *q.*85.*art.*2. Salonius *ibid.* Valentia *tom.*3. *diſp.*5.*q.*18 *punct.*2.*ad fin.* Azorius 3. *p. l.*13.*c.*9. Clauis Regia *lib.*12.*c.*5.*n.*9. Molina *tract.*4. *diſp.*21.*n.*4. Filliucius *tr.*40.*n.*144.] & alij.

15 An deriſio differat ſpecie à ſubſannatione.

15 Quæres vltimò, vtrùm deriſio differat ſpecie à ſubſannatione.

Reſpondeo negatiuè. Per hoc tamen differt, quòd deriſio fieri ſolet verbis irriſoriis, ſubſannatio verò ſit ſignis, vt naſo rugato, vel labiis extenſis, aut aliis ſignis, quæ æquiualent verbis irriſoriis.

Quod deriſio non differat ſpecie à ſubſannatione, colligi poteſt ex natura vtriuſque ; cùm per vtramque honor alterius violetur cum intentione confundendi proximum, & inducendi erubeſcentiam. Ita Salonius 2. 2.*q.*75.*art.*1. & alij DD. citati.

PVNCTVM II.

Vtrùm honos ablatus per contumeliam, vel per deriſionem reſtituendus ſit & quomodo.

1 *An reſtituendus ſit honos ablatus per contumeliam, vel per deriſionem.*
2 *An reſtituendus ſit honos ablatus non ſolùm apud ipſum dehonoratum, verùm etiam apud alios.*
3 *An qui omittit alium honorare teneatur ad reſtitutionem.*
4 *An grauiter peccet & poſſit abſolui, qui non vult alloqui, vel ſalutare eum, cum quo familiaritatem diſſoluit.*
5 *Quibus modis reſtitui poſſit honos per contumeliam, vel per deriſionem ablatus.*
6 *An aliquando liceat omittere, vel differre reſtitutionem honoris.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 An reſtituendus ſit honos ablatus per contumeliam, vel per deriſioné.

1 QVi per contumeliam, vel deriſionem alterius honorem iniuſtè abſtulit dictis vel factis, tenetur ad reſtitutionem, vel etiam ad ſatisfactioné. Ita Leſſius *loc.cit.dub.*27.*n.*145. Azor. *loc.cit. c.*10. [Turrian. *diſp.*53.*dub.*11.*n.*3. & alij DD. citati. Ratio eſt, quia, qui alterius honoré iniuſtè abſtulit, peccauit contra iuſtitiam commutatiuá : ex peccato autem contra iuſtitiá commutatiuam cum dãno alterius oritur obligatio reſtituendi dãnum illatũ ad æqualitaté.

2 An reſtituendus ſit honos ablatus nõ ſolũ apud ipſum dehonoratũ, verum etiã apud alios.

2 Ex quo ſequitur, honorem ablatum non ſolum reſtituendum eſſe apud ipſum dehonoratum, verum etiam apud illos, apud quos honor illius imminutus eſt : alioquin honor iniuſtè ablatus non reſtitueretur ad æqualitatem.

3 An qui omittit alium honorare teneatur ad reſtitutionem.

3 Quæres primò, vtrùm qui omittit alium honorare, teneatur ad reſtitutionem.

Reſpondeo negatiuè per ſe loquendo ; nam aliud eſt deſiſtere ab honore, aliud eſt poſitiuè inhonorare ; ſicut aliud eſt non conſeruare res proximi, & aliud eas iniuſtè diſſipare. Omiſſio honoris non opponitur iuſtitiæ commutatiuæ, per ſe loquendo, ſed obſeruantiæ ; poſitiuè vero inhonorare opponitur iuſtitiæ commutatiuæ, ſicut eidem opponitur iniuſta rei alienæ contrectatio ; ex ſola autem iuſtitiæ commutatiuæ violatione oritur obligatio reſtituendi ex delicto.

Dixi in reſponſione, *per ſe loquendo*, nam ratione alterius circumſtatiæ fieri poteſt vt ex honoris omiſſione conſurgat obligatio reſtituendi, quando ſcilicet honoris omiſſio virtualem & interpretatiuam continet contumeliam, Quamobrem ſi tu Prælato tranſeunte non aperias caput, ſed illũ toruè aſpicias, nullo exhibito honoris ſigno, cæteris aperientibus caput, & honorem exhibentibus, interpretatiuè cẽſeris illum afficere contumelia, ex qua oritur obligatio reſtitutionis. Ita Leſſius *loc.cit.n.*132.[Filliuc. *tr.* 32.*c.*9.*quæſ.*10.*n.*251.] & alij.

4 An grauiter peccet, & poſſit abſolui, qui non vult alloqui, vel ſalutare eum, cũ quo familiaritatem diſſoluit.

4 Quæres ſecundò, vtrùm, qui diſſoluta priori conſuetudine, & familiaritate, quam cum Caio, vel alio habebat, non vult illum alloqui, vel ſalutare, grauiter peccet, vel poſſit abſolui à confeſſario, quamdiu perſiſtit in intentione non alloquendi, vel ſalutandi, quem antea ſalutare, vel alloqui conſueuerat.

Reſpondetur, hoc quæſitum conſtare ex dictis *in tractatu de charitate punct.*3. vbi dictum eſt, depoſito odio, vel triſtitia de bono alterius non peccare mortaliter ex hoc capite præciſè, quod illum non ſalutat, vel non alloquitur. Ratio eſt, quia Caius ob diſſolutam familiaritatem non eſt melioris conditionis altero, qui non eſt notus, vel familiaris, ſed non tenemur illum, qui non eſt nobis notus, vel familiaris, alloqui, vel ſalutare, cùm charitas non obliget nos ad huiuſmodi ſigna peculiaris beneuolentiæ præſtanda, & exhibenda ; ergo non tenemur ſub mortali ſalutare, aut alloqui alterum, quem ante diſſolutum amicitiæ vinculum alloqui, vel ſalutare ſolebamus.

Dixi, *ex hoc capite præciſè* : nam ex alio capite, vt ratione ſcandali, aut odij, &c. fieri poteſt, vt obligemur ſub mortali ad illum ſalutandum, vel alloquendum, & conſequenter non ſit abſoluendus à confeſſario, qui non habet propoſitũ ſalutandi, vel alloquendi. Ita Beia, Nauarrus, Bannes, Caietan. & alij, quos retuli de *charitate punct.*3. *quæſ.*2.3. & 4. ad ibi dicta te remitto, ne ſæpiùs eadem repetam.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Quibus modis reſtitui poſſit honos per cõtumeliã, vel per deriſionem ablatus.

5 MVltis modis reſtitui poteſt honos ablatus per contumeliam, vel per deriſionem.

Primò reſtitui poteſt, dando locum honorificum, adhibendo ad menſam, propinando, &c. & hic modus, inquit Leſſius *n.*144. frequenter ſufficit etiam inter pares. Non tamen ſemper eſt ſufficiens, cùm fieri poſſit, vt tanta fuerit honoris læſio, vt iudicio prudentis non ſufficienter ſarciatur per hunc modum.

Secundò, ſufficienter reſtituitur honor petitione veniæ.

Ratio eſt, tum quia hæc æſtimatur magna ſatisfactio, conſequenter ante iudicis ſententiam reſpectu omnium ſufficere videtur humilis veniæ petitio cum ſignis doloris, etiam pro grauibus iniuriis ; tum quia vſu receptum eſt, vt ante iudicis ſententiam maior ſatisfactio non exhibeatur, quamuis per iudicem poſſit maior infligi.

Verum tamen eſt, ſuperiorem, qui contumelia affecit inferiorem, aut virum nobilem qui hominem plebeium inhonorauit, ſatisfacere quidem petendo veniam : non tamen teneri veniam petere, ne deſpectui habeatur. Propterea ſatisfacere videtur honorificè ſalutando, ſeu compellendo, vel oſtendendo extraordinariam beneuolentiam, vel exhibendo alia ſigna iuxta prudentis iudicium : nam delinquens ad aliud non tenetur, quàm vt reſtituat æquiualens ; poteſt autẽ æquiualens reſtituere alia ratione, quam petitione veniæ, vt ſuppono.

Ex quo ſequitur, veniæ petitionem non eſſe neceſſariam, quando reſtitutio honoris aliter fieri poteſt. Ita Rebellus *lib.*4. *de reſtitutione, q.*12. Caietanus 2.2. *q.*72.*art* 3. Reginald. *lib.*10.*n.*354. Molina *tr.*4.*diſp.*46. P. Nauarrus *lib.*2.*c.*4. 1.*p.dub.*6.*n.*66 & alij apud Clau. Reg. *loc.cit.n.*8. & 11.] & apud Turrianum *diſp.*53.*dub.*11.*n.*6. contra nonnullos alios.]

6 An aliquando liceat omittere, vel differre reſtitutionẽ honoris.

6 Quæres, vtrùm aliquando liceat omittere, vel differre reſtitutionem honoris.

Reſpondeo, huius quæſiti ſolutionem conſtare ex dictis de cauſis excuſantibus à reſtitutione in genere, & à reſtitutione famæ, qualis cauſa eſt remiſſio, &c.

Aduertendum tamen eſt remiſſionem reſtitutionis honoris regulariter non cenſeri factam per familiarem conſuetudinem, ſeu conuerſationem cum eo, qui contumeliam intulit. Ratio eſt, tum quia familiaris conuerſatio non ſufficienter indicat remiſſionem debiti pecuniarij ; ergo neque ſufficienter indicat remiſſionem honoris, qui maioris eſt momenti, & æſtimationis ; niſi fortè adſint expreſſa indicia, ex quibus remiſſio contumeliæ colligatur : vt, ſi affectus contumelia valdè familiariter verſetur, & communicet cum eo, qui ſibi contumeliam irrogauit : tum quia familiaris conuerſatio aliis de cauſis fieri poteſt, vt cauſa indigentiæ, vel ſcandali vitandi, vel conſuetæ conuerſationis. Ita P. Nauarrus *loco cit. n.*74. *fol.*238. Nauarr. *c.*18.*n.*46. Reginald. *loc.cit.n.*356. Clau. Reg. *loc.cit n.*14. & alij, quidquid dicat Syluester, & alij. Ex hoc pacto intelligenda ſunt quæ dixi *de cenſuris, diſp.*2. *q.*4. *punct.*5. *n.*13. *verſ. verum ad finem*, in prioribus editionibus.

QVÆSTIO VI

De reſtitutione facienda ob ſuſurrationem.

DVo principaliter quæram in hac quæſtione.

Primò, quid ſit ſuſurratio, & quomodo differat à detractione, & contumelia.

Secundò, vtrùm ſuſurratio ſit peccatum mortale, & obliget ad reſtitutionem.

PVNCTVM I.

Quid ſit ſuſurratio, & quomodo differat à detractione, & contumelia.

1 *Quid ſit ſuſurratio.*
2 *Quomodo ſuſurratio differat à detractione, & contumelia.*
3 *An ſuſurratio ſit peccatum grauius detractione, & contumelia.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid ſit ſuſurratio.

1 SVſurratio eſt peccatum linguæ ; quo quis manifeſtat alterius defectũ ad ſeminandas diſcordias inter amicos. Ita S.Th. 2.2. *quæſt.*74.

*quaſt.*74. Nauarr. *in manuali*, *c.*18.*n.*13. Clau. Reg. *lib.*12.*c.*5. Azor. 3. *p. lib.*13.*c.*8. Molina *tr.*4. *diſp.*25. [Filliucius *tract.*40. *c.*5. *quaſ.*1. *n.*135.] & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Quomodo ſuſurratio differat à detractione & cõtumelia.

2 SVſurratio differt à detractione, & contumelia, quia finis detractionis eſt iniuſta denigratio famæ, finis contumeliæ eſt læſio honoris: & finis ſuſurrationis eſt diſſeminatio diſcordiarum, & diremptio amicitiæ.

Verum tamen eſt, in ſuſurratione ſæpè includi detractionem, & contumeliam: quia ad diſſeminandas diſcordias aliquando refertur crimen alterius falſum, vel etiam verum, & occultum in abſẽtia, vel in præſentia. Ita Sal. 2.2.*q.*74.*art.*1. [Filliuc. *n.* 136.] & alij DD. cit.

3 An ſuſurratio ſit peccatum grauius detractione, & contumelia.

3 Quæres, vtrùm ſuſurratio ſit grauior detractione, & cõtumelia.

Reſpondeo affirmatiuè cum communi DD. ſententia. Ratio eſt, tum quia ſuſurratio ſæpè includit etiam detractionem, & contumeliam: tum quia maius damnum affert, quàm afferat detractio, & contumelia: cum ſuſurratio dirimat, & diſſoluat amicitiam, quæ præſtantior eſt bono famæ, & bono honoris, iuxta illud Eccleſ. 6. *Amico fideli nulla eſt comparatio.*

PVNCTVM II.

Vtrùm ſuſurratio ſit peccatum mortale, & obliget ad reſtitutionem.

1 *An ſuſurratio ſit peccatum mortale.*
2 *An ſuſurratio aliquando contineat plures malitias neceſſariò explicandas in confeſſione.*
3 *An ſuſurratio aliquando excuſetur à mortali peccato.*
4 *An ſuſurratio aliquando licita ſit.*
5 *An ſit licitum diſſoluere amicitiam concubinariorum, recenſendo aliqua ipſorum vitia.*
6 *An aliquis poſſit amicitiam aliquorum dirimere, vt eam ſibi conciliet.*
7 *An ex ſuſurratione conſurgat obligatio reſtituendi.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 An ſuſurratio ſit peccatum mortale.

1 SVſurratio eſt peccatum mortale ex ſuo genere contra iuſtitiam. Ratio eſt, quia ex ſuo genere graue damnum iniuſtè affert: iniuſtè autem afferre graue damnum alteri, eſt ex ſuo genere mortale peccatum contra iuſtitiam.

2 An ſuſurratio aliquãdo cõtineat plures malitias neceſſariò explicandas in confeſſione.

2 Addo ſuſurrationem aliquando plures malitias continere neceſſariò explicandas in confeſſione, vt benè aduertit Molina *loc. cit.* Clauis Regia *loc. cit. n.*1. & alij. Propterea, qui malum refert ad ſeminandas diſcordias inter duos coniuges, vt inde faciliùs occaſionem arripiat adulterandi cum altero, non ſolùm peccat peccato ſuſurrationis, ſed etiam peccato adulterij propter intentionem, quam habet adulterandi.

3 An ſuſurratio excuſetur à mortali peccato.

3 Aduertendum tamen eſt, ſuſurrationem aliquando excuſari poſſe à mortali peccato, ratione indeliberationis, & inaduertentiæ, ſi fortè adſit inaduertentia, vt à ſimili conſtat ex dictis *de detractione, & deriſione.* Ita Salonius *loc. cit. art.*2. & alij.

4 An ſuſurratio aliquando licita ſit.

4 Addo, ſuſurrationem aliquando licitam eſſe, vt quando quis manifeſtat alterius defectum ad diſſoluendam pernicioſam, & periculoſam amicitiam, nullo intercedente mendacio. Ita Clauis Regia *loc. cit. n.*4. Azor. *loc. cit. dub.*3. Rebellus *lib.*4. *de reſtitutione*, *q.*2.*n.*11. [Filliucius *tr.*40. *c.*5. *quaſ.*2. *n.*138. & alij communiter. Ratio eſt, quia licitum eſt manifeſtare delictum alterius ad euitandum graue detrimentum, vt conſtat ex ſupra dictis de detractione; ergo licitum etiam eſt manifeſtare defectum alterius ad dirimendam, & diſſoluendam pernicioſam, vel periculoſam amicitiam.

5 An ſit licitum diſſoluere amicitiam concubinariorũ, recẽſendo aliqua ipſorũ vitia.

5 Hinc ſequitur, licitum eſſe, ſecluſo mendacio, diſſoluere amicitiam concubinariorum, recenſendo aliqua ipſorum vitia, quando aliter diſſolui non poteſt pernicioſa ipſorum familiaritas, & amicitia. Propterea ſecluſo mendacio, licitum eſt dicere concubinario, concubinam quam recipet, eſſe deformem, vel publicam meretricẽ, &c.

6 An aliquis poſſit amicitiam aliquorum, dirimere, vt eã ſibi conciliet.

6 Quæres, vtrùm aliquis poſſit amicitiam aliquorum dirimere, vt eam ſibi concilier.

Reſpondeo poſſe, modò hoc non faciat modis illicitis. Ita Arragonius 2.2.*quaſt.*74.*art.*2. Sotus 5. *de iuſt. q.*11.*art.*1. & alij cont. Bannem 2.2. *quaſt.*74. *art.*2. Salonium *ibid.* Azorium *loc. cit. dub.*5. Clau. Reg. *lib.*12.*c.*5.*n.*5. [Filiucium *tract.*40.*c.*5. *quaſ.*3.*n.*140.] & alios. Ratio eſt, tum quia licitum mihi eſt orare Titium, vt mutet teſtamentum, meque hæredem conſtituat, aut mihi tradat rem, quam precariò alteri conceſſerat, ſecluſa fraude, & dolo; ergo, &c. tum quia bonum gratuitum pendet à libera voluntate conferentis: ſicut autem liberum eſt conferenti bonum gratuitum non conferre: ita mihi liberum eſt præciſa vi, & fraude, curare, vt non conferat, ſed mihi, aut alteri tradat: amicitia autem & familiaritas cenſetur bonum gratuitum pendens à libera voluntate amicorum.

SECVNDA PROPOSITIO.

7 An ex ſuſurratione conſurgat obligatio reſtituẽdi.

7 EX ſuſurratione conſurgit obligatio reſtituendi. Hæc propoſitio euidens eſt, & perſpicua; nam ex peccato contra iuſtitiam conſurgit obligatio reſtituendi damnum illatum; ſuſurratio autem eſt mortale peccatum contra iuſtitiam. Ita Molina, & alij *locis cit.*

QVÆSTIO VII.

De iudicio temerario, & ſuſpicione.

CVm iudicium, & ſuſpicio temeraria referatur, & reducatur ad detractionem tanquam actus internus ad externum, congruum eſt, vt hic etiam de ea diſſeramus.

Tria autem principaliter quæremus.

Primò, quandónam contingat iudicium temerarium ſufficiens ad peccatum mortale.

Secundò, vtrùm iudicium temerarium ſit peccatum contra iuſtitiam, & obliget ad reſtitutionem.

Tertiò, vtrùm teneatur dubia in meliorem partem explicare.

PVNCTVM I.

Quandónam contingat iudicium temerarium ſufficiens ad peccatum mortale.

1 *Quanam differentia ſit inter iudiciũ temerarium, & ſuſpicionẽ.*
2 *An committatur iudicium temerarium malè iudicando ex ſufficientibus indiciis.*
3 *Quanam coniecturæ ſint ſufficientes, vt iudicium non ſit temerarium, & peccaminoſum.*
4 *An committatur iudicium temerarium malè iudicando abſque ſufficienti fundamento.*
5 *An peccet mortaliter, qui iudicium fert de altero in materia graui ſufficienti fundamento, quando habet magnam probabilitatem.*
6 *An ſit mortale peccatum iudicare de aliorum defectibus naturalibus ex leuibus indiciis.*
7 *An peccet mortaliter qui temerè iudicat de aliquo indeterminato, aut etiam de aliquo determinato, quem non agnoſcit.*
8 *An ex indiciis dubiis poſſimus dubitare, & opinari rem ita eſſe aut veroſimilem.*
9 *An qui de alio malè ſuſpicatur, vel dubitat, poſſit ſuam opinionem, vel iudicium alij manifeſtare.*
10 *Quid iudicandum ſit, quando quis dubitat, an deliberatè, vel indeliberatè iudicauerit, & an mortaliter peccauerit iudicando vel non.*

1 Quænam differentia ſit inter iudiciũ temerariũ, & ſuſpicionẽ.

1 NOtandum hanc eſſe differentiam inter iudicium temerarium, & ſuſpicionem, quòd ſuſpicio eſt opinio mali orta ex leuibus indiciis, & cum formidine oppoſiti, vt, ſi Caius ex leuibus indiciis opinetur, Titium commiſiſſe furtum, vel adulterium, ſed vacillet ob quandam formidinem oppoſiti, dicitur habere ſuſpicionem: iudicium verò temerarium eſt, quando quis ex leuibus indiciis aſſentitur firmiter malitiæ proximi: vt quando quis ex leuibus indiciis credit, Titium commiſiſſe furtum, vel adulterium, &c. Si verò non credat, nec firmiter aſſentiatur, non committit iudicium temerarium, ſed potiùs ſuſpicionem. Propterea, ſi quis videns adoleſcentem loquentem cum muliere credat ipſum velle cum ea peccare, ſed ita diſpoſitus, & affectus, vt ſi ipſum interrogaret, an ita firmiter ſentiat, reſponderet, ſe hæſitare, aut fortè etiam falſum eſſe, quod credit, non dicitur elicere iudicium temerarium: quia non iudicat firmiter, nec ita definitiuè ſentit. Ita Molin. *tr.*4. *diſp.*13.*n.*4. P. Nauarr. *lib.*2. *cap.*4.*n.*445. Caiet. 2.2.*q.*60. *art.*3. Regin. *l.*24. *n.*24. [Filliuc. *tr.*40.*c.*1.*quaſ.*2.*n.*2. *& quaſ.*1.*n.*20. *ad fin.*] & alij.

Et hoc diligenter aduertendum eſt propter multos, qui ſe credunt temerè iudicaſſe: quamuis eorum iudicium non ſit propriè iudicium temerarium, ſed potiùs ſuſpicio.

Hoc poſito, duo principaliter quæram in hoc Puncto.

Primò, vtrùm iudicium temerarium committatur, malè iudicando ex ſufficientibus coniecturis.

Secundò, vtrùm committatur iudicando ex ſufficientibus indiciis, & coniecturis.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An committatur iudicium temerariũ malè iudicando ex ſufficiẽtibus indiciis.

2 NOn committitur iudicium temerarium malè iudicando de aliquo ex indiciis, & coniecturis probabilibus, & ſufficientibus. Ratio eſt, tum quia iudicium temerarium eſt illud, quo quis ex leuibus indiciis mouetur ad firmiter aſſentiendũ malitiæ alterius, ſed, qui firmiter iudicat malum de aliquo ex indiciis, & coniecturis ſufficientibus, non mouetur ad aſſentiẽdum ex leuibus indiciis; ergo non committit iudicium temerarium: tum quia illud non eſt iudicium temerarium, quod eſt conforme rectæ rationi, & prudẽtiæ; ſed iudicium, quod procedit ex ſufficientibus indiciis, eſt conforme prudentiæ, & rectæ rationi, cùm ex recta ratione iudicetur tale ob indicia ſufficientia; ergo non committitur iudicium temerarium, malè iudicando cum ſufficientibus indiciis: tum quia proximus non habet ius, vt alter de ipſo non malè iudicet, quando adſunt ſufficientes coniecturæ ad malè iudicandum de ipſo; non enim habet ius, vt alter iudicet aliter, quàm poſtulent indicia ſufficientia: conſequenter qui malè iudicat ex ſufficientibus indiciis, non committit iudicium temerarium,

R. 7.

D. ANTONII FERNANDEZ

DE OTERO

I. C. CARRIONENSIS,

OLIM IN PINTIANA ACADEMIA INSTITUTIONUM Civilium Cathedræ Moderatoris; deinde in Pintiano Regio Senatu forenſium cauſarum Patroni,

TRACTATUS DE PASCUIS ET JURE PASCENDI

PERVTILIS ET NECESSARIVS,

Omnibus in foro Iuridico Verſantibus.

Duplici Indice, Capitum ſcilicet, & Rerum Locupletatus.

EDITIO TERTIA.

ESCUELA DE JURISPRUDENCIA DEL ESTADO · MONTERREY

LUGDUNI,

Sumptibus IOANNIS COUTAVOZ.

M. DCC.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

15970

NOBILISSIMO, ERUDITISSIMO,

AC PRÆSTANTISSIMO VIRO DOMINO,

AC DOMINO SUO LICENTIATO

IOSEPHO GONZALEZ,

à Conſiliis Potentiſsimi, & Catholici Regis noſtri Philippi IV. & in ejus Supremo Caſtellæ, & Camerali Senatu meritiſsimo Iuſtitiæ Patri, & Vindici integerrimo,

ANTONIUS FERNANDEZ DE OTERO V. I. Doctor, Cliens obſequentiſſimus, dicat, & ſalutem, & fœlicitatem exoptat.

ECQVIS lucubrationum mearum ſpecimen primum, paſcuorum meorum fructum (ſi quis ſit) Tibi, Nobiliſsime, Eruditiſsime, ac omni ex parte Præſtantiſsime Mecenas, omni jure ſacrari debere, non erit ratus? En jam arida, & inculta ruſticitatis meæ Paſcua iſta, Nomini tuo libata, ejus aſpirante rore, micant, & virentia florent. Et Tractatus iſte (quem à me habere non valuit) à tua luce ſplendorem, accipiet; & quam optare potuit, à tua dignitate commendationem. Scopus mihi iſte, à duplici produit cauſa: à tuis meritis; ab officio meo. Latior uterque campus quàm ut hoc poſsit orationis curſu luſtrari. Dicam igitur parva de magnis, pauca de plurimis explorata omnibus, mihi probata, qui loquor (verus teſtis eſt qui laudat expertus.) Quo etenim ad ſtemmatum nobilitatem, utique ex clariſsima Gundiſalvorum familia, ortus enitet tuus; ut meritò Dominus Ioannes Gonçalez Veldeſius chariſſimus filius tuus inter Patritios, & nobilitatis Heroes Equeſtris Ordinis Divi Jacobi in tenera admodum ætate, fulgente enſe, & rubeo ſtigmate fuerit inſignitus, & fœlici auſpicio cooptatus. Sed quid in hæreditarii, & gentilitii ſanguinis tui gloria decantanda cunctandam? cùm propria virtutum tuarum nobilitas, Majorum tuornm generoſitati correſpondens, & ſplendorem continuans, ita coruſcat, & fulget: Ut enim canit Ovidius 3. Metamorph.

Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco.

Itaque cùm verus nobilitatis ſplendor, juxta Philoſophorum Principis placitum, in animi bonis reſideat; nempè in operationibus ſecundum habitum virtutis, in vita perfecta præſtantioribus, quis eam Te integrè aſſequu-